



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XVII. Crux Dominica servis Dei omnes indulcorat labores, ærumnas & miserias, ipsamque denique horrendam morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XVII.

**CruX Dominica Servis Dei omnes indulcorat labores, ærumnas, miserias & adversitates, ipsamque mortem.**

*Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit. Ecclesia in Officio de S. Cruce.*

I.

**C**um Moyses dux ac legifer Hebraicum populum per desertum Sur in Paestnam duceret, nec in gravissima siti aquam inveniret, quâ fatiscentem reficeret multitudinem, nisi aquas amarissimas de Marath, impensius cœpit invocare DEUM, ut populum suum in tanta dulcis aquæ penuria non desere-

*Exod. 15. 26. ret: At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.*

Per lignum hoc, cui Abulensis nomen *Adelpha* tribuit, communiter SS. Patres crucem Dominicam subaudiunt, quod dulce lignum omnes nostras amaritudines, dolores ac cruciatus solet indulcorare:

*Cornel. hic.*

*Hoc lignum, ait hic Cornelius, significat lignum crucis, illius enim virtute, memoria & meditatione sanctis omnis labor & dolor dulcescit. Per aquas autem amaras de Marath tribulationes, tentationes, persecutiones, labores, infirmitates ac sexcentas alias ærumnas intellige, de quibus Regius Vates in propria testatur persona: Intraverunt aqua usque ad animam meam.*

*Psal. 68. 2.*

Si ergo desideras, anime mi, ut aquæ istæ amaræ in hac mortali vita tua tibi pariter reddantur dulces, mitte in eas lignum S. Crucis, ubi omnis amaritudo tibi in optatam vertetur dulcedinem: *Lignum, ait Lippomanus, id est crux dulcia facit omnia hujus mundi adversa.*

2. Et quid in dubium vocas admirandam hujus sacratissimi ligni virtutem? An non modicum farinæ amarissimam illam ollam colocyinthidis & herbis mortiferis impletam, de qua filii Prophetarum clamabant: *Mors in olla, mors in olla*, uno momento indulcoravit, & ad

*4. Reg. 4. 41. comestionem amabilem reddidit: Et non fuit quidquam amaritudinis in olla?*

An



An non aqua illa fætens ac sterilis Jeruchuntina per modicum sal à Propheta immissum, in dulcem versa, & à sua innata amaritudine ac sterilitate sanata est? *Et egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & 4. Reg. 2. 19. ait: Hac dicit Dominus, sanavi aquas has & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas: sanata sunt ergo aqua usque in diem hanc.*

Quantò magis dulcissimum lignum SS. Crucis pretiosissimo Christi Sanguine sanctificatum ac purpuratum, aut minima ejus particula omnes humanas nostras miseras ac calamitates in vita & in morte poterit indolorare? proinde haud immeritò hoc sacrosanctum vitæ lignum ab Ecclesia appellatur: *Dulce lignum, dulcia ferens pondera, supra omnia ligna Cedrorum, in quo salus mundi pependit, in quo Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.*

3. Paulus, ut Hebræos suos recens ad Christum conversos ad patientiam ac constantiam in fide inter tot adversa ac persecuciones in primitiva Ecclesia animaret, illis Christum crucifixum, tanquam certaminis & cursûs metam, terminum ac præmium proposuit: *Aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Ubi Paulus, prout hic observat D. Chrysostomus, alludit ad pictores, qui, ut ex prototypo & exemplari similem expriment imaginem, ipsum prototypum & exemplar sæpissimè respiciunt, & contemplantur. Sic vult S. Paulus, qui de se ipso testatur: *Christo confixus sum cruci,* ut Hebræi quoque, & Christiani omnes *Gal. 2. 19.* ipsum fidei & patientiæ exemplar, hoc est, Christum JESUM & hunc crucifixum assiduè intueantur, illiusque virtutes in se exprimere satagant, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Sic Christi exemplo animati omnes SS. Apostoli, Martyres, Virgines proposito sibi gaudio sustinuerunt crucem, confusione contemptâ, quia crux Christi illorum indoloravit dolores ac cruciatus, ut tyrannorum minas & cuncta eorum irrideret tormenta.

4. Videamus exempla. S. Vincentius, cùm in equuleo, velut in cruce distentus, pro Christo amore suo acerbissimos pateretur dolores, ac ferreis unguibus, candentibusque laminis torqueretur, Dacianum tyrannum cum tortoribus irrisit: *Has epulas, inquit (tormenta quæ Cornel. ad mihi infligis) ego semper desideravi; nunquam aliquis adeo servivit mihi, sicut tu.* *Hebr. 12. 2.*

SS. Marcus & Marcellianus, fratres, ad prægrandem stipitem, tanquam ad crucem, alligati, ac in pedibus clavis ferreis confixi, Christum & hunc crucifixum cantando laudare usque ad finem vitæ non cessarunt, unde ad Fabianum judicem inter gravissimos cruciatus dixerunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quam hac libenter Jesu Christi Martyrol. & Brev. Kom. causa persequimus, in cujus amore fixi esse cupimus, utinam tam diu nos hac pati sinat, 18. Junii.*



sinat, quâmdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus, qui diem noctemque inter divinas laudes canentes, denique telis transfixi, lati ad Dominum suum migrarunt.

**Brev. 9. Nov.** S. Theodorus M. licet toto corpore dilaceratus, læto tamen animo in suis cruciatibus ad crucifixum amorem suum respiciens decantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore.*

**Brev. 14. Mar.** S. Bonifacius ferreis unguis crudelissimè excarnificatus, memor sui prototypi, Christi JESU crucifixi, alacri animo in suis exclamabat cruciatibus: *Gratias ago tibi Domine JESU Christe, Fili Dei, donec tandem ab olla picis ferventis integer cervicem gladio porrexerit.*

**Brev. 1. Febr.** S. Ignatius Martyr in Amphitheatro Romano ad leones & Leopardos damnatus, præ gaudio exultans, respiciens exemplar suum crucifixum, exclamavit: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, qua videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur.* Et quid nos agimus miseri, in tribulatione aliqua constituti? Ecce dulce lignum crucis omnes Sanctorum illorum Martyrum indulcoravit amaritudines; & nos quid agimus in aliqua tribulatione, derelictione & persecutione constituti?

5. In mentem hîc mihi venit generosus ille miles & Regis Saulis supremus Capitaneus, Davit inquam, qui, ubi robustum illum gigantem lapide prostravit, & gladium illi eripuit, quo illius scelestum amputaret caput, atque fugientium Philistinorum tergo insistens, stragem latè victor edidit, submissas DEO gratias ob tam insolitam obtentam victoriam egit, in quem finem illum Psalmum composuit:

**Psal. 143. 1.** *Benedictus Dominus, Deus meus, qui docet manus meas ad prælum, & digitos meos ad bellum.* Laudo Davidem, sed magis extollo S. Barlaam fortissimum Christi Martyrem, qui Cæsareæ in Cappadocia tyrannum & ignem insolitâ ac planè admirandâ fidei constantiâ superavit, de quo refert Vita, quòd enormi crudelitate flagellatus, dexteram suam thure plenam jussus fuerit super carbones ignitos tenere, eâ conditione, ut si vel unicum thuris granum in subjectum, manu laxatâ, demitteret ignem, hoc ipso, quali diis Gentilium sacrificans censeretur. Et quid ad hoc fortissimus Christi athleta? Memor crucifixi sui amoris manum suam in pugnum compressam, tam diu super ignem immotam tenuit, donec illa penitèns absumeretur, interim lætus illud Davidici decantans: *Benedictus Dominus, Deus meus, qui docet manus meas ad prælum, & digitos meos ad bellum.*

**Brev. Rom. 10. Aug.** Et quid dico de S. Laurentio in ignea craticula collocato, scorpionibus & plumbatis cæso? Hic, ubi ad lætus tyrannum vidit adstantem,



stantem, generoso & jucundo animo illum allocutus est: *Assatum est, versa & manduca.* Exinde oculos ad cœlum levans, lætâ voce exclamavit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*

6. Progrediamur ulterius. Cum B. B. B. Paulus Miqui, Juannes de Gotho, & Jacobus Chisai tres Japones Soc. JESU sub Taicosama Japoniæ Imperatore Nangazachi anno 1597. pro Christo post aures præcisâs & alias incredibiles exantlatas ærumnas tandem ad crucis damnati essent supplicium, læti omnes cum psalmodum cantico ad eam perrexerunt, in qua suffixi tanquam ex cathedra zelo mirabili Christum & hunc crucifixum circumstantibus Japonibus prædicarunt. Tandem lanceis à carnificibus latis vulneribus in pectore transverberati, generosum spiritum Deo tradiderunt. Tantum apud illos potuit exemplum crucifixi JESU, qui omnes illorum amaritudines in dulcorem convertit.

Sic Joannes Fischerus Episcopus Roffensis ab Henrico 8. Angliæ Rege Schismatico, quia impiæ illius petitioni consentire noluit, ad mortem damnatus, & ad supplicii locum ductus, læta voce decantavit: *Tè Deum Laudamus,* & Edmundus Campanus S. J. *Hac dies quem fecit Dominus, exultemus &c.* Sic Joannes Ogilbeus S. J. in Scotia nobili genere natus, & martyrii sitientissimus, ubi à Calvinistis captus, & ad patibulum tractus fuit, crucem suam, quam prius amplexatus & osculatus est, alacri animo ascendit, in qua constantissimè Christum crucifixum prædicans, & pro crucifixoribus orans, demum de gradu à carnificibus deturbatus, grata Deo victima occubuit.

7. Sic Apostoli omnes ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati, hoc enim exemplar, quod in monte Golgothæo illis monstratum est, illis omne dolorum fel in dulce consolationis mel convertit. Audi S. Augustinum eleganter ad propositum nostrum loquentem: *Tu Domine, ait in Soliloquiis, es dulcedo inastimabilis, per quam omnia amara dulcorantur; tua enim dulcedo Srephano lapides torrentis dulcoravit: tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit: Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hac enim tua dulcedo ipsos Apostolorum Principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit &c.*

Vides ex his, anima Christiana, quàm suavis sit Dominus & Amor tuus Crucifixus, qui omnes tuas amaritudines, si illum mente

*Gmbler Unus pro omnibus.*

I

atten-



attentiores fueris contemplatus, in dulcorem vertet. Proinde in omnibus tentationibus, angustiis & tribulationibus, quæ possunt accidere, ad crucem fuge, & non inuenies efficacius remedium, quam hoc dulce lignum, cui tandem pro lemmate inscribo:

*A ligno dulcescit amarum.*



## CONSIDERATIO XVIII.

Virga sicca & arida Aaronis de novo reflorescens typus SS. Crucis Dominicæ.

*Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores. Num. 17. 8.*

I.

**D**E virga Aaronica, quæ alia à virga Moyſis fuit, referunt Sacræ litteræ, quòd licet prorsus sicca & arida fuerit, in tabernaculo tamen fœderis reposita mirè inter omnes alias virgas de novo cœperit floſcere, & post flores sine mora & eodem ferè tempore suos proferre fructus: *Quas cum posuit Moyſes coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus, inuenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt; Quæ virga, prout cenſet Abulensis, deinceps nunquam amplius desiccata est, sed semper cum floribus & fructibus virens & intacta permanſit, quia Dei opera perfecta sunt.* Unde pro memoria tanti prodigii in arca testamenti religioſè aſſervata est, cui nos pro epigrapha illud Isaïæ Prophetæ inscribimus: *Germinans germinabit.*

Num. 17. 7.

Hebr. 9. 4.

Isa. 35. 2.

Per hanc virgam non immeritò Dominicam crucem intelligimus quæ quidem arida & sicca virga fuit, dum eam Judæi post consummatam Christi passionem profundè in Calvario monte defoderunt, in quo loco longo tempore sepulta fuit; verùm postquam S. Helena Constantini Magni mater & piissima Imperatrix magno labore & studio eam quæſiuit, ac denuò inuenit, mox de novo incepit reflorescere, & innumera hæcenus orbi universo conferre beneficia. Testis est